

mutuam actionem & passionem omnia inuicem permisceri. Hoc inculcat Aristoteles, cui ex abundanti mixto-^{2. de Ortu}rum omnium conditio, ex quaternis e-^{cap. 8.}lementis, testimonio intemeratæ inductionis consistens suffragatur, accidentium & effectorum indicio fidem faciente. Sic quidem contendit Philosophus: at quàm firmis lateribus is demum animaduertet, qui cogitabit argumenti prioris necessitatem subruisse posse ariete inexpugnabili. Vt enim largiar in mixto generando, quatuor elementorum inuicem committendorum plusquam necessariam esse præsentiam: non tamen inde consequitur, ad terminum properante generatione, eandem requiri. Congrediatur enim denis gradibus Aquæ, binæ Ignis: octonis Terræ, binæ Aëris. An non iam facili coniectura deprehēdemus terram & aquam, mole & efficacia qualitatum longè potentiora, non mutando duntaxat, sed penitus corrumpendo, in reliquorum duorum imbellē repugnantiam grassatura? ut quod inde natum fuerit corpus, binorum tantum elementorum, perfectè

N 4 inui-